



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXII. De Novi Operis Nuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

admittuntur ad septa, imò & ad Cellas Monasterium.

- 4 Quæres, an pari ratione mulieribus sit prohibitus ingressus in Monasteria virorum? R. Prohibitus quidem est, at non in tanto rigore, ut nec ingredientes nec admittentes excommunicentur, nisi id faciant ex prætextu alicujus privilegii per *Constit. Decori. cit. & Constit. Dabii Gregor. XIII.* Vi Consuetudinis saltem in quibusdam Ordinibus ingredi permittuntur femine Principes, earumque filiae, ac aliae, quæ eas comitantur (id quod & in Monasteriis Monialium observavi) item quæ sunt de familia Fundatoris, ut mihi sæpius relatum est.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Nuntiatio novi operis.*
3. 4. *A quo, & cui nuntiari novum opus possit.*
5. 6. *Quis sit effectus Nuntiationis.*

PER *Novum Opus* hic intelligitur, ædificatio quod quis molitur vel in fundo alieno vel in solo quidem proprio, at cum alterius præjudicio, vero vel asserto, id vel extendendo de novo, vel pristinam ejus formam immutando, v. g. aperiendo fenestram versus horizontem alterius, altiùs tollendo &c. Et hinc illi qui

De Novi Operis Nuntiatione. 729

qui indè sibi præjudicari putat, datur jus *nuntiandi novum opus*, h. e. prohibendi novam stru-
cturam vel novam ædificii formam, seu *nuntia-
tio novi operis*, quæ ex *l. 1. seqq. & l. un. C. h. t.*
definitur esse *legitima prohibitio novum opus pa-
ranti facta, ne in ædificando pergat, donec de
jure ædificandi, vel aliquid immutandi, constite-
rit, aut eo nomine præstita sit prius satisfactio*, si
nempe nuntians velit esse contentus satisfactio-
ne, seu cautione de ædificio demoliendo sumpti-
bus ulterius ædificantis, si in Judicio litem per-
diderit, modò nuntians intra tres menses volue-
rit de suo jure docere. *l. un. cit. c. penult. & ult.
eod.* Si tamen ex dilatione ædificii immineret
damnum ædificantis, cogi nuntians posset ad re-
cipiendam cautionem. *l. 5. S. 12. ff. eod. Barb. ad
d. c. penult. n. 2.* Ortum suum hæc nuntiatio ha-
bet à Jure Civili ex Edicto Prætoris. *l. 20. f. 1.
ff. eod.* recepta tamen est per omnia à Jure Cano-
nico *toto, h. t.* ubi conceditur etiam contra con-
struentes novam Ecclesiam, Monasterium &c. &
hujus rei occasione in *c. 1. eod.* Pontifex generali-
ter pronuntiat: *sicut Leges non dedignantur SS.
Canonibus imitari, ita & SS. statuta Canonum Prin-
cipum constitutionibus adjuvantur.* Cui conso-
nant textus in *Nov. 83. c. 1. & Nov. 131. c. 1.* Quo
pacto insinuatur, utrumque Jus, Canonicum &
Civile, sibi mutuò succurrere, & ubi unum defi-
cit, ab altero suppleri, adjuvari, & interpretatio-
nem unum ab altero accipere, nisi apertè repu-
gnent.

Dividitur Nuntiatio in Publicam & Privatam, 2
Realem & Verbalem. *Publica, vel Judicialis est,*
ZZ § quæ

quæ fit auctoritate Judicis implorati, qui vel per apparitorem prohibet, vel prævia inspectione per deputatos in arte peritos præmissâ inhibet ad interim ulteriorem ædificationem. *Privata*, quæ fit privata auctoritate. *Realis*, quæ fit factô & per appositionem manûs, v. g. materiam & lapides jam paratos dispergendo, vel lapillum in opus inchoatum jaciendo, cum verbis tamen vel signis prohibitionem indicantibus. *Verbalis* demum, quæ præcisè fit verbis prohibentibus, ne quid novi operis fiat, aut ut à cœpto desistatur; nec enim interest, an opus jam fuerit inchoatum, vel tantum suspicio non vana appareat, ædificatum in, ut facta fuerit loci designatio, parati lapides, camenta &c. *arg. l. 1. §. 8. l. 20. §. 2. ff. h. t.* Ulteriori adverte, quod, si quis in alieno fundo ædificare cœpit, dominus fundi propria auctoritate opus destruere possit. *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clam*, quamvis ad cavendum, ne veniatur ad arma, si non videatur consultum. Optimus siquidem securissimus & usitatissimus nuntiandi modus est, qui fit auctoritate publica & per implorationem officii Judicis.

- 3 Dico I. Nuntiare novum opus, quod cedit in præjudicium boni publici, quilibet de populo. quod autem cedit in præjudicium privati, ille potest, cui præjudicatur in suo jure reali, quod habet vel asserit sibi competere, sive sit dominium, etiam utile tantum, sive servitus ipsi competens in alio fundo &c. Pars I. liquet ex *l. 3. 4. & 5. §. 9. ff. h. t.* Pars 2. ex *l. 1. pr. & §. 3. 16. 19. ff. eod. l. 3. §. 8. 9.* Nec refert, an quis per se vel per alium nuntiet.

Dico

De Novi Operis Nuntiatione. 731

Dico 2. Nuntiarī autem potest omni illi, qui 2
in alterius præjudiciū molitur novum opus. *l. 8. pr. ff. c. 1. 2. eod.* & quidem non solum domino ipsi novanti, sed etiam famulo, mulieri, puero, fabro, opifici, & similibus personis, quæ domino referre valeant nuntiationem factam, modò id contingat in loco, vel prope locum, ubi paratur novum opus. *l. 5. cit. ff. 3. 4. l. 10. seq.* quia in rem ipsam directa est nuntiatio. *Objic.* Quilibet, saltem in suo fundo, ædificare potest, quidquid & quo modo voluerit, licet vicinus indè aliquam sentiat incommoditatem, v. g. obscurationem suarum ædium, impedimentum prospectûs, etiam si ædificare velit usque ad cælum. *text. l. 8. C. de servit. ex quo DD. formârunt hoc axioma, si domus est mea, tunc mea est usque ad cælum & usque ad infernum:* ergo nuntiarī novum opus non potest illi, qui in alterius præjudiciū molitur novum opus. *R. dist. ant.* nisi vicinus in domo ædificantis habeat servitutem realem urbanam (nam in servitutibus rusticis discontinuis, ut est via, aquæductus &c. locum non habet nuntiatio. *l. 14. ff. h. t.*) aut nisi quis solum ex æmulatione vel passione erga vicinum ædificet, v. g. ad obscurandas ædes, ad explorandum hortum vicini &c. ut præsumitur, si ædificanti nulla indè proveniat utilitas: aut nisi opus novum cedat in damnum vel molestias boni publici, vel Religionis, ut si quis ædificium ita attollat, vel in pristino aperiat fenestram, ut exinde conspici possint personæ Religiosæ: aut denique nisi ex nova structura alteri, etiam privato, immineat periculum damni, vel ruinæ suarum ædium. *C. Ant.* siquid ex istis subsit. *N. Ant. & Cons.*

Dico

¶ Dico 3. Effectus Nuntiationis, respectu Nuntiatum, est, ut is statim debeat desistere ab opere, donec intra tres menses (intra hos enim nuntians probare debet iniquum præjudicium, quod si non fecerit, tenetur admittere cautionem. *l. un. C. eod.*) re examinata constet de ædificantis jure. *l. 1. l. 8. §. 1. & 4. l. 20. §. 1. ff. eod.* Si verò non obstante nuntiatione pergeret ædificare, propriè impensis demoliri deberet, quidquid ædificaverit. *l. 1. & 20. c. it.* Ne verò detur occasio calumniosis nuntiationibus, potest nuntiatum, vel ejus loco Judex, exigere juramentum calumniæ, quo nuntians juret, se credere, quòd justam nuntiandi causam habeat. Dixi, respectu nuntiatum, seu ædificantis, nam ex parte nuntiantis operetur hoc, quòd teneatur actione injuriarum, & interdicto, *ne vis fiat*, nec non interdicto, *uti possidetis*, si deprehendatur injustè nuntiàsse. per *l. 13. §. fin. ff. de injur. l. 45. §. fin. ff. de procurat. l. 8. §. 5. ff. si servit. vind.*

¶ Dico 4. Effectus iste respectu Nuntiatum cessat. 1. si fiat notorium jus ædificandi. 2. si ædificatio cederet in manifestum periculum gravis damni ædificare volenti. 3. si nuntians non lit præstare juramentum calumniæ. 4. si sponte remittat nuntiationem. 5. si Judex eam revocet. 6. si re adhuc integra moriatur nuntians, nisi sit, & simul hæredum nomine nuntiàsset. 7. si recipit cautionem à nuntiatum. 8. si intra 3. menses non probavit jus prohibendi. DD. passim ex variis legibus. Pariter nuntiatum locum non habet, si opus jam est perfectum & absolutum; sed tunc subintrat aliud remedium, nempe *restitutivum*, quod

quod vi aut clam. l. 1. cit. §. 1. Verùm Objic. 1. In
 c. 1. h. t. & l. 1. ff. eod. dicitur, nuntiationem no-
 vi operis impedire novantem in pergendo in no-
 vo opere, sive jure sive injuriâ sit facta: ergo non
 cessat, licet ædificandi jus, & injustitia prohibi-
 tionis fiat notoria. 2. Nuntiatio non finitur mor-
 te Nuntianti: ergo nec morte Nuntiantis. R. ad
 1. Id intelligendum est de injuria non notoria.
 per l. 38. ff. de R. V. Ad 2. N. Conf. nam nuntia-
 tio ex parte Nuntianti est in rem, seu realis, &
 ideo transit etiam ad successores. l. 10. ff. h. t. ex
 parte Nuntiantis autem est personalis, & ideo ad
 successores non transit, imò nec ad hæredes, nisi
 & horum nomine facta sit.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Pri- vilegiatorum.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Privilegium, & Excessus privilegio-
 rum.
2. Quotuplex sit Privilegium.
3. Quibus modis acquirantur Privilegia.
4. Prasertim per Communicationem.
5. Quid de usu privilegiorum tenendum.
6. Quomodo sint interpretanda.
7. An patiantur extensionem.
8. Quibus modis, amittantur Privilegia;
9. Prasertim per Revocationem.

Præ